

---

Aristotelis Eth. Nic. I 5.

In primo Ethicorum Nicomacheorum libro c. 5, ubi philosophus non omnes actionum humanarum fines esse absolutos docet, cum permulti aliorum causa expetantur, p. 1097 a 25 sqq. haec leguntur verba intacta adhuc ab editoribus relicta: ἐπεὶ δὲ πλείω φαίνεται τὰ τέλη, τούτων δ' αἰρούμεθά τινα δι' ἕτερα, οἷον πλοῦτον αὐλοῦς καὶ ὄλως τὰ ὄργανα, δῆλον ὡς οὐκ ἔστι πάντα τέλεια. Quid velint hoc loco tibiae, haud parvo commentariorum numero perlecto mihi tamen obscurum fuit. quamquam enim tibiae recte instrumenta sc. musices dici possunt, tamen eas male cum divitiis componi nemo negabit. Propterea corrigendum puto leni adhibita mutatione φίλους, quam coniecturam praeclare confirmat eiusdem libri consimilis locus p. 1099 a 33 b 1 sq.: πολλὰ μὲν γὰρ πράττεται καθάπερ δι' ὀργάνων, διὰ φίλων καὶ πλοῦτου καὶ πολιτικῆς δυνάμεως.

Bonnae.

R. Muenzel.

---